

ARNOLDI LEONARDI  
DAEMS

Pot. Bor. Regi

Circa judicia capitalia a Consiliis

ORATIO  
INAUGURALIS

qua probatur

NEMINEM AD CATHEDRAM THEMIDIS RECTE AD-  
SPIRARE, NISI QUI SCHOLASTICA SUA STU-  
DIA, RERUM PRÆSENTIUM USU & FO-  
RENSI EXERCITATIONE CON-  
FIRMAVERIT ATQUE COR-  
ROBERAVERIT

Dicta publice

A. D. III. Non. Nov. MDCCXXVIII.

Cum ordinariam juris professionem in Illustri Gymnasio  
Hammonensi solemniter more majorum  
susciperet,



Hammonæ Westphalorum, typis ANTONII JACOBI UTZII,  
Urbis & Illustr. Athen. Typogr.

# ERRATA

pagina	linea	legendum
1	9	Neuter, inquit,
5	1	quam obrem
8	10	negotia
9	3	Inter
10	1	fere
12	10	posse, sibi
ib.	11	revera
14	19	occurrebant
18	9	rectam viam
ib.	11	aliquo angulo
20	14	conscribere
24	9	ab hisce
30	2	dabat remis
31	10	Apelli melitam
34	14	homines ut
39	17	sacerdote
41	2	commentitiis
56	17	discebant
67	14	difficillima
71	5	philosophicas
82	11	expressæ
83	15	re mercuriali
93	4	ars solet, rebus
96	11	<i>κοινωτικόν</i>
97	4	Spartam
100	3	quibuscum
103	11	purioribus
104	3	quid vobis otii



## ORATIO INAUGURALIS.

**L**ongè diversissimas atque se-  
junctas esse facultates, multum-  
que inter se distare Juris & di-  
cendi artem, prudentiam civi-  
lem & Eloquentiam, Periclis & Scævo-  
læ exemplis apud Ciceronem illustrat An-  
tonius. "Neuter eorum admodum polite  
"dicebat : Pericles tamen princeps consilii  
"plurimos annos Athenis fuit; Scævolæ se-  
"natus Romanus maximis in rebus assensus  
"est. Vicissim, non omnes oratoris opti-  
mi gloriam cum artis peritia conjunxerunt.

Compluribus caussas orantibus prudentiæ & cautelæ, quibus elegantem suam facundiam attemperarent, ab alieno limine repetendæ erant.

Illud vero paradoxum & inter veteres Romanos inauditum est, quod, qui caussas in foro unquam, vel mediocriter saltem, egerit, ve-reatur, ne vix sicco & civili sermone de ratione artis suæ verba facere possit, ne dicam quod extimescat, ne forum optimæ eloquentiæ quondam palæstra, tantum squaloris & impuritatis dictioni suæ adpersisset, qua delicatæ ac teretes aures offendantur, & optima causa rudi parumque concinna oratione sua prodatur.

Et tamen eam ipsam maxime curam & sollicitudinem esse sentio, quæ mentis alacritatem animique constantiam, quæ me in celeberrima fori & judiciorum luce non  
facile

facile deseruerunt, nunc intercipere ac extorquere videtur, dum in patriam mihi que familiarem cathedram hanc ascendo. Friget enim in Gymnasiis & respuitur oratio, in qua flos dictionis collectus, & ad artis regulas & præcepta compositus & exactus non est. Mihi vero huc transeunti publica privataque negotia, ex quibus me continuo extricare non potui, ne tantum quidem otii reliquerunt, ut orationis illas sordes, quas in foro versantibus adhærere non immerito conqueri amant, plane excutere & detergere, & forensam dictionem in Scholasticam, simul & semel, reformare quiverim. Non instituti hujus Lycei ratio, non Vester P. C. jussus huic curæ ampliari, aut diem eum in finem diffindere permittunt, ut artificioso & Scholastico dictionis genere illorum præjudicio occurram, qui me infelici-

bus

bus avibus, in novum hunc, ut sibi persuadent, terrarum orbem delatum demirantur.

Animum tamen rursus addit Vestra P. C. de studiorum meorum instituto, tam benevola opinio: Vestra, A. O. O. H. iudicii æquitas me dubitare non finit, Vos, nunc aliquantisper elegantiarum, quibus in hoc loco adfueti estis, severos exactores non futuros: sed veritatem, quæ plana, quæ enodis est, vel leviter adumbratam atque delineatam non minori favore excepturos esse, quam si exquisitis verbis incrustata compareret; imo vero languentem orationem meam attenta & benevola Vestra opera sublevaturos fore. Et hanc quidem benevolentiam eo majori contentione à Vobis expeto, quia non dicturus sum de argumento longius petito, aut Vestra attentione indigno, multo minus ab hac occasione alieno: sed de eo ipse

ipso, ex quo ratio Vobis constet, quamobrem, licet purioris styli & otii literarii de cætero amantissimus sim, diutius tamen in aula hæserim, judiciis & foro operam dederim, litigiorum strepitu, elegantioribus literis, quas forte consecutus eram, maculam adsperferim.

Hujus rei causam simul tam probatam, quam fonticam & necessariam me Vobis redditurum confido, ita ut non tantum, quicquid interim de Scholasticis minus curari potuit, tanquam per absentiam Reip. literariæ causa omissum excusetis, sed etiam exemplis prudentissimorum hominum, præsertim Romanorum, inducti & persuasi mecum tandem confiteamini: NEMINEM AD CATHEDRAM THEMIDIS RECTE ADSPIRARE, NISI QUI SCHOLASTICA SUA STUDIA, RERUM PRÆSENTIUM USU & FORENSI EXERCITATIONE CONFIRMAVERIT ATQUE CORROBERAVERIT.

En! Thema sermonis pulchrum omnino, de quo eo ordine agam, prouti res illuc facientes sese pro simplicitate ac dignitate sua memoriæ meæ suggesserunt, insinuaveruntque.

Qui Imperii Romani tenuem ortum & rapidum progressum ab angustiis initiis ad tantæ amplitudinis fastigium & gloriam curiosius scrutati sunt, in eo plerumque conveniunt, Romanos nulla re magis vicinos, quibus viribus & opibus longe inferiores erant, quam ope eximiæ cujusdam disciplinæ superasse, qua non tantum castris, sed & urbi suus constabat ordo, qua utrinque tantum virtus & pudor, quantum frena legum omnium & singulorum usibus accomodatissimarum, valebant. Hujus saluberrimæ disciplinæ auctores, statores & amplificatores erant, quotquot fere belli Duces, quotquot



in senatu ac Principum consistoriis, si non de integri humani generis, saltem de amplissimi orbis Romani salute decernebant, quotquot denique coram tribunalibus de singulorum jure judicabant. Tantus numerus celeberrimorum illorum nominum, quibus ea tempora inclaruerunt, quorum consilio & directione luxuriosum illud seculum in officio retentum est, quorum denique opera viæ obscuræ & difficiles, ad penetralia civilis scientiæ seræ quoque posteritati explanatæ & commonstratæ sunt, ut si nostrum ævum cum illis temporibus compares, sterile & effoetum omnino videatur: cum in tanta copia studiosorum juris & pragmaticorum rarissime invenias aliquos, qui tantos duces per viam, quam nobis aperuerunt, æquo gradu insequi valeant.

Quotusquisque enim est, qui ubi inter

libros in Museo, in Cathedra sua omnem vitam in enucleandis Romanarum legum medelis consumpsit, eo prudentiæ & gloriæ, vel in scholis, vel in foro, & conciliis publicis perveniat, quo complures prifcorum Romanorum cum Nerva filio in prima adolescentia evaserunt? Quotus quisque est, qui ea facilitate & dexteritate nodosæ quæstiones resolvere, ea felicitate in foro adesse, ea gravitate negotia maxime ardua moderari & dijudicare calleat, qua Romanorum non paucos ex Juris Consultorum Scholis vix prodeuntes hæc omnia expeditivisse legimus?

Viderunt hanc seculi nostri imbecillitatem complures, & non immerito operæ pretium esse judicaverunt, in causam & originem ejus inquirere eademque opera artes illas investigare, per quas, sicuti civilis prudentia a Romanis

manis

manis inventa & ad summam *ἀριστην* perducta,  
 ita & naturali quadam ratione conservari &  
 ad usum nostrum transferri possit : inter  
 hosce ego, si & mihi hic suffragii jus est,  
 illos minime a scopo aberravisse statuo, qui  
 imperitiam præcipientium & oblivionem an-  
 tiquæ disciplinæ nos a gloria prudentiæ vete-  
 rum arcere ajunt, eximiam methodum, qua  
 Quirites juventutis suæ florem ad Themidis  
 sacra præparare, & viam, per quam Reip. usi-  
 bus parandam Romuli progeniem perductare  
 solebant, amisimus, vel ab ea aberrantes, vel  
 eam data opera spernentes.

Ad inania subtilitatum scholasticarum, vel  
 ad horrida & inepta cerebrinarum æquitatum  
 forensium, tanquam ad scopulos sibi invicem  
 oppositos, adhæremus : vitio instituti nostri,  
 non seculi, dum Charybdin evitamus, in Scyl-  
 lam incidimus. Ad artem omnium princi-

pem docendam hodie dum scire accedunt, non tam, vel ingenio, vel scholasticarum scientiarum studio, Romanis inferiores, quam potius illis adjumentis, illa prudentia & peritia destituti, quæ in justitiæ sacerdote & doctore Romani præcipue requirebant: quæ vero illi superflua, imo noxia esse putabant, illis ingenia ad magna quævis nata in scholis onerantur, ne dicam suffocantur.

Instauremus igitur, si pote, & aperiamus rursum pristina itinera ad Themidis arcem, olim quidem prona, expedita & regia, nunc tanto tam reipubl. quam literarum optimarum detrimento, ob maximam earum infrequentiam, obscura impedita & tantum non inexplicabilia & impervia: sed primum omnium consideremus perniciosum genus illud zizanix & fruticum, quibus regia hæc via ab omni ævo & tempore, inter varias gentes  
in.

intricata quidem & obscurata, sed maxima cura & sollicitudine inter Romanos quondam purgata & liberata est.

Scilicet omnium seculorum historiarum testantur, otiosam quandam & securam imperitiam atque inertiam sapientiarum studiosos, inter complures gentes, a vero fine quorumcunque studiorum, longissime abduxisse, umbratilem luxuriosamque meditationem, in angulo a negotiorum humanorum presentia remoto, verarum sapientiarum vim sapissime infregisse; illique nervos omnes, qui in actionibus ipsis quotidianis consistunt, praecidisse, ad mera stultissimaque nugamenta optima ingenia transtulisse; in illisque per omnem vitam detinuisse.

Nullam vero gentem sidus hocce pestilens magis afflavit, quam Graecos, qui deinde & fortissimam Romuli progeniem nugis su-

is & figmentis, quasi spectris horribilibus in  
quietaverunt, & a quibusvis necessariis rebus  
ad inutilium & stultissimorum sectationem  
seduxerunt.

Hos otii & secessus abundantia ad fastidi-  
osa, & nescio quæ sublimia deportaverat,  
quorum stulta opinione tumidi, & humanæ  
fragilitatis imperiti, scholastica sua sapientia  
quælibet ad aurei seculi virtutem se refinge-  
re posse imaginabantur: quæ in vita commu-  
ni & civili re vera utilissima erant, judicialia,  
forensia, domestica, externa, nec usu, nec do-  
ctrina percipiebant: contra sapientiam &  
secum natam & morituram credebant, quo-  
ties cerebrinam quandam rempublicam ob-  
scure commenti essent, cum aciem gruum,  
ut credo, & pygmæorum in charta depingere,  
phalanges post cacabum perumpere scirent.  
Quare nihil præter ineptias & fastum cre-  
pabant,

pabant, militiam ad inertes ludos transferebant: de lingua Evandri matris, Homeri patria, Achillis inter virgines nomine, Anchemoli noverca, Penelopes avibus aliisque ejufrudi quisquiliis differendo, investigando, diem & cum illo irreparabile juventutis tempus consumebant, perdebant.

Futuros Oratores exercitationibus de piratis cum catenis in littore stantibus; & tyrannis edicta scribentibus, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant; de responsis in pestilentia datis, ut, nescio quæ, virgines immolarentur, aliisque febrilibus somniis, quæ frustra inter sponsiones & edicta quæras, sesquipedali & Asiatico dicendi genere, vociferabantur; magno denique conatu magnas nugæ agebant, inertes ipsi atque insulsi.

Equidem cordatiores inter Romanos,

D

quibus

quibus antiqua virtus & mores prisca in pretio erant, ægerrime ferebant, in tantum a veræ sapientiæ cultu & gravitate morum factam discessionem, indignabantur eorum ludum ut impudentissimum & civitati perniciosissimum, ex eo prodeuntes ad res civiles gerendas ineptissimos fieri persuasi; sed vix tamen post varias longasque molestias aliquoties efficiebant ut græculi Magistelli, civitate ejicerentur.

Illi vicissim aliud genus Politicorum, seu civilis prudentiæ Doctorum, maximo cum adplausu & veneratione excipiebant: eos scilicet qui assiduo consortio, & familiaritate cum viris principibus & publica munera sustinentibus versati, quæ in castris, in aula, in curiis, in foro occurebant, ibique evidentissimi usus & utilitatis erant non leviter gustaverant; ad hæc intelligenda & augenda

genc  
qu  
maxim  
foris di  
doque  
suam or  
blicæ ad  
diam qu  
quantum  
duceban  
differeban  
pericula p  
tabantur. In  
cepta disc  
..... Patri  
» Quo sic a  
» Quod sit c  
(a) L. xv. ep. 1.





»Partes in bellum missi Ducis?

A fastuosa aut affectata eloquentia abhorrebant, Eloquentiam Catonis & Gracchorum licet optimam censerent, durefcere tamen ea juvenes nolebant, ne dum sibi met-  
 ipsis similes magnorum virorum viderentur, nulli utiles essent. Ne quidem facile futuros Oratores adeo patientes fore aperte confitebantur, ut ritus & consuetudines avorum suorum, quæ in usu esse desierant, addiscerent.

Græculorum morbo eos laborare pronuntiabant, qui quærebant aut disceptabant: quis  
 »primus navali prælio inter Romanos suos  
 »vicerit, aut elephantos in Triumphum duxerit ; Ilias an Odyssea prior, an utraque ab eodem auctore scripta sit ? Hisce & similibus ne doctiorem quidem, sed molestiorem  
 quen-

que  
 co  
 la  
 la sup  
 definit  
 busque  
 inservit  
 circum  
 complu  
 Disc  
 regularu  
 Græcam  
 seu patriar  
 eos adhuc  
 lata omni  
 Strinæ me  
 rum poët  
 quarum for  
 (2) Duaren ac

quenquam fieri, eaque ne tacitam quidem conscientiam juvare putabant.

Idem iudicium ferebant de iis, qui fastuosa superstitione in fingendis, tradendisque definitionibus dialectices, legibus, rationibusque magis, quam rei animique notioni inservirent, quin potius, illis spretis ipsimet circumscribebant magis, quam definiebant complura. (a)

Discipulos suos inde ab incunabilis non regularum tricis, sed exercendo & loquendo Græcam linguam, etiam ante ipsam Latinam seu patriam docebant. Dum pueritiæ rationes eos adhuc intra contubernium tenebant, sublata omni errandi materia, lineamenta doctrinæ moralis sub jucundo cortice fabularum poëticarum, eademque opera antiquarum formularum, & dictionum signi-

E

gni-

(a) Duaren ad Tit. de probat. c. 2.

gnificationes teneris animis infigebant.

Non in scholis pueri Grammaticorum regulis Logicorumque nugis irretiebantur; sed ornate pureque dicendi facultate imbuebantur, haud equidem ea, quæ, ubi in forum ventum, dediscenda esset, sed quæ absque ullis ambagibus, forensis pugnæ simulacris, in forum, in judicia & rerum argumenta recta viam pararet: Eloquentiam aliasque prudentiæ civilis partes, non schematibus in secessu, in abstruso alioque angulo inventis, illustrabant; sed stylum & verba forensia exactissime referentibus, in ipso etiam foro rerum usu & experientia comprobatis, utilitate & necessitate confirmatis, a rerum denique vivis discriminibus sola fictione differentibus.

Inter hos referendus Anaxagoras Clazomenius, qui vir summus maximarum rerum  
scientia

scientia Ciceroni vocatur : secutus est idem institutum Aristippus Philosophus , qui adolentes discere oportere respondit , quod , cum viri evasissent , ad usum vitæ maxime commodum esset futurum ; qui non eos , qui plurima , sed qui utilia didicerant , eruditos habendos esse dicebat , addens , sicut , qui plurimum comederunt , aut exerciti sunt , non melius valent , quam qui necessaria tantum adsumpserunt. Cum hoc paria fecit Isocrates , in cujus ludum nobilissimi quique confluebant & ex quo meri artis Oratoriæ Principes exhibant. Talia fuerunt illa præclarorum Rhetorum & Grammaticorum celebra nomina. Tales denique illi , qui e Peripateticorum aliorumque schola Politici vocabantur : imprimis vero hoc encomium meruerant sectatores Zenonis , qui ante omnes alios Philisophiam ab otiosis con-

tro-

troverſiſis ad privatam utilitatem, & publicam tranquillitatem promovendam tranſtulerunt. Sunt enim hi ipſi illi, ſub quorum diſciplina ſummos belli Duces, Pragmaticos & Magiſtratus omne tempus atque ætatem ſuam conſumpſiſſe credideris: Adeo, quoties res & uſus exigebat, de principiis morum & honeſtatis non magis egregie in in porticu Chryſippi & Crantoris, quam in ſcriptis eorum agitur. Imo vel ex ipſis fragmentis Iuris Conſultorum noſtrorum, præcipue eorum, qui ex Labeonis Schola prodierunt, inſtitutiones Philoſophiæ moralis Stoicæ conſcribere proclive eſt.

Quantum illi, exemplo Stoicorum, ad genuinam verborum vim eruendam operæ impenderint; quam neceſſarium eorum intellectum habuerint, quis eſt, qui neſciat? Quoties dubium occurreret circa verba,

ba,

ba, ritus, consuetudines, quæ fori exercitatio-  
ne quotidiana retineri non poterant, ab illis  
consilium petebatur.

Nec Dialectices ejusque argutiarum, re-  
rum usui subservientium, ipsos Jctos incuri-  
osos aut ignaros fuisse in propatulo est.

Non alios Philosophos Stoicos, Rhetores  
& Grammaticos, quam Politicos hosce fuisse,  
facile videre est; absque quibus viri summi  
non tantum domi in toga, sed foris quoque  
in sago fere nihil magnarum rerum perfecis-  
se videntur; hos in deliciis, pretio ac hono-  
re habebant, vel in alias terras & insulas se-  
cum ducebant; horum colloquiis & consiliis  
negotia publica condiebant; horum scripta  
ubique legebant, eoque ipso ne in castris qui-  
dem fortem animum & virtutem bellicam  
frangi putabant: sed cum iis ubique, ablata  
sella, dimissis lictoribus, submissis fascibus de

studiis differebant, ingenii sui foetus eorum censuræ subiciebant, idque non minori sibi gloriæ ducebant, quam si omnium rerum gubernacula interim moderati fuissent, de vita bonisque civium decrevissent, hostem profligassent.

Utcunque vero maxima essent ea sapientium horum scholasticorum merita, atque dehinc tanta pragmaticorum & forensium personarum erga eosdem reverentia, inducere tamen non potuerunt prudentissimos Quirites, ut ingenia, quæ ad maximam officiorum celebritatem & mediam Reipubl. lucem parabantur, vel in ipsa juventute, aut unice aut diutius saltem, sub disciplina & in scholis eorum relinquerent, cathedrarum horum Philosophiæ immergerent, aut paterentur eadem arbitrio illorum efformari.

Experiundo illi didicerant, fieri non posse,  
 quin



quin illi, qui in contemplationis cancellis sese continent, & in una Philosophia speculativa vitæ suæ tabernaculum quasi collocant, in quæstiones & tractationes complures circa quascunque res incidant, nulli alii usui aptas, quam quibus tempus desidiose consumant, & nauseam otii excutiant. Quotquot quietem tantum ac otium sequuntur, neminem tanti æstimant, cui Advocati, in forum descendant, nullum munus Reip. tam gloriosum, quod in se suscipere velint: sed compendii publici incuriosi, nihil aliud agunt, quam ut inter sibi similes famæ litent, gloriam præstantis eruditionis non nisi discendo, docendoque post fata inter æque imperitos relinquunt; vel ex inani subtilitate, voluptatem captent: horum sapientia in plurimis quoque ad solidam non pervenit frugem: illi omnes modum necessarium in tradendis scientiis

non

non semper vident: sicut enim his longum iter ad doctrinam per præcepta patet, otium iis abunde in elenchis & omnibus artis lenociniis versatur: ita modo eam laudem, cui soli serviunt, inter æquales obtineant, inter se pari securitate futilia & rerum argumentis contraria magno conatu tractant; nulla religio est, animi & gloriæ causa rerum spinosarum disquisitionibus hisce argumentis longissime remotis subtiliores & magis perplexas, quam utiles quæstiones sæpius efformare. In hac meditationum luxurie, in hoc perpetuo secessu, non tantum ad superflua, sed & ad rerum argumentis contraria, & ejusmodi difficiles nugas nonnunquam delabuntur, quibus adolescentium ingenia, publicorum negotiorum & civilis vitæ prorsus expertia perniciosissime onerantur, sub confusa rerum imagine facillime franguntur,

lan-

languescunt, & a proposita sibi meta longissime aberrant. Nimiis subtilitatibus ebrii, vel tenebris secessuum suorum nimis assueti in fori splendore quasi cœcutiunt, & instar eorum, qui oculis laborant, vel multas veras rerum differentias non observant, vel plures nullibi existentes se videre credunt. In re expedita, juxta Heracliti præceptum, offundunt tenebras. Non respiciunt indolem rerum quotidie obviarum, nec quid in vita omnes judicent: populares artes & scientias ideo negligunt, quoniam vulgares sunt; „vi-  
 „am, quam populus it, ideo fugiunt, quia fre-  
 „quens est: ut sidera contrarium mundo iter  
 „intendunt, ita, nescio quo fastu, adversus o-  
 „pinionem omnium vadunt.

Quare etiam non observant, quod nulla ars sit, in qua singularum rerum discolor usus & indoles vel singula, quæ illa arte effici possunt, in-

tra privatos parietes satis clare perspiciantur: hæc & similia ibidem quærentium oculis se subduxisse, & variis erroribus se obnoxios reddidisse vel ideo non satis clare vident, quia in rem præsentem nunquam deferuntur. Ponamus Polycletum operi manum admovento, fingendo Herculem, fingere didicisse, non officinam magistri sui repetet, si forte hydra aut alia imago fingenda ipsi est, sed hujus diversitates per se facile persequetur: at si id per præcepta tantum & artis regulas didicerit, & Hercules actu fingendus sit, innumeris difficultatibus implicabitur: Herculem, multo minus aliam quandam speciem, absque ope & consilio Magistri sui efformare vix, ac ne vix quidem poterit. Certe accidet ejusmodi artis cujuscunque Magistris in ipsis rerum discriminibus, quoties in consilium vocantur, quod Hieronymus contingere obser-

vat

„vat illis, qui tertium Virgiliti *Æneidos* librum  
„explicare conantur, & nec ipsia Troade per  
„Leucadem & Acroceraunia ad Siciliam & in-  
„de ad ostia Tiberina navigaverunt; nec vivam  
„de horum locorum situ ideam consecuti sunt:  
„hi enim nunquam satis dilucide vim & ele-  
„gantiam ejus libri perspicient.

Multo adhuc obscuriores erunt ejus-  
modi sapientibus rerum moralium noti-  
ones, quæ a varia facie actionum huma-  
narum & factorum recessibus dependent  
et derivandæ sunt: hæc enim rursus cir-  
ca singulares res versantur, quæ & innume-  
ras & tenues quidem, maximi tamen mo-  
menti differentias habent, in penetralibus &  
museis sub vana, imo falsa imagine sese offe-  
rentes, aut oculos, acerrimos quoque effugi-  
entes: præsertim cum Philautia accedens im-  
becillem & corruptam humanarum rerum

con-

conditionem, nescio quo sublimis excellen-  
tiae & perfectionis fucō illinire & abscon-  
dere, atque ex homine variis imperfectioni-  
bus obnoxio Chimæram imaginario verbo-  
rum honore exornatam effingere, & efficere  
soleat:

-----» Bullatis ut tua nugis

» Pagina turgescat dare pondus idonea fumo.

Hiscæ vero vanis notionibus & inanibus re-  
rum imaginibus, generaliores quidem regulæ  
& definitiones superstruuntur, sed minus ve-  
ræ & claræ, minus utilitatis & applicatio-  
nis in rerum argumentis invenientes, utpo-  
te quæ ex sententia subacti iudicii & animi  
rerum & personarum conditiones & vitæ  
conjunctiones comparare & discernere cal-  
lentis, quidem dijudicari, ad unam vero ali-  
quam regulam alligari aut certo modo defi-  
niri non facile poterunt. (a) Fru-

(a) L. 31. ff. de Donationibus.

L. 3. ff. de Testibus.

L. 32. ff. de Usuris.

Frustra quoque studium hujus Sipientis circa illustrissima exempla civilium operum versabitur, frustra hic Papiniani & Ulpiani Tribunalibus in imagine se sistet; stornachus ejus, famelici instar, optima & aliis utilissima, quasi nullius momenti & noxia rejiciet & evomet, quia salubria & necessaria concoquere & in succum & sanguinem vertere assuetus non est.

Non utilior hic sua doctrina civilibus officiis erit, quam navi alicui gubernator speculativus rerum & artium nauticarum, præsertim illarum tantum, quæ ob mutatam hominum & artium conditionem & indolem in desuetudinem abierunt; ubi enim hodie oborta tempestate cum mari luctandum est, ubi eripienda sunt vento vela, non fabula narranda quo pacto oras terrarum legendo

„requiemque modumque  
 „Voce dabat nautis animorum hortator

Epepeus :

Sed in medio vasti illius Oceani gubernandum, ad nostram acum nauticam cursus illuni nocte dirigendus; tum sane ejusmodi gubernator nauseabundus hærebit, titubabit, trepidabit.

Nihil interest, an cum tabe laboras ex Medici illius, cujus Galenus meminit, schola prodieris, qui methodum pharmaca componendi, aut usum & applicationem eorum præscribendi, nunquam ipse perceperat; an in vitæ forique tempestatibus doctrina tantum utaris ejus, qui non nisi locos communes volvit, inter privatos parietes circulos & subtilitates nescit: uti enim illi medico, cum omni sua scientia, ipsi absque remedio tabe pereundum fuit; ita & cum hac  
 doctrina



doctrina non tantum eo majus exemplum inutilis tuæ disciplinæ circumferes, quo magis intricata erunt negotia, in quæ incidēs; sed & si vel verba præmeditata de illis ipsis facere coneris, quæ exercitatis & illiteratis aperta & facillima sunt, risum tamen vilissimis quoque illorum in multis debebis; non secus ac Megabyzus de arte pictoria, quæ fando vel legendo cognoverat differens periculum subiit, ne a pueris Apelli melidem terentibus exhiberetur. Vix enim quis primas lineas ducendo aliquot in hac arte

--- non finit ignavos præterisse dies, quin facile hoc exercitio, saltem aliquibus, edoceatur, oculus rudem, licet literatissimus sit, in ipsius Apellis artificiosissima tabula nihil artis, nihil præclari invenire, eximia quælibet pro obscuris & implexis habere & si ultra familiarem suam crepidam de figura

gura illa judicare velit, hic quidem lucis plusculum, ibi non nihil tenebrarum, alibi aliud, sed ineptissime & stultissime desiderare: plane quod doctissimis multis recentioribus Juris Doctoribus usu venit, qui de exercitatissimorum nostrorum Apellium tabulis seu scriptis, in umbra Scholastica, differere & existimare aggressi sunt. Non enim minus in proclivi esset barbaris forensibus ipsisque, ut videbimus, mercatoribus, eos in multis ignorantiae artis pristinae Juris adeoque stultitiae & levitatis arguere, quam Apelli erat increpare Megabyzum; aut Hannibali aliisque peritissimis belli Ducibus Phormionem aliosque otiosos de Imperatoris officio, rebus bellicis & fortitudine verba facientes.

Et nunc & olim res ipsa docuit, prudentissimas quoque Philosophorum sectas sapientiae

sapientiae obtentu hic in multis deliravisse & extra oleas vagatas esse, dum suis tantum Musis & partibus canere, sibi in penetralibus sublimiori quadam ratione philosophari, eoque famae suae magis, quam necessitati & infirmitati humanae litare studuerunt. Ipsi Stoici, qui inter illos sapientes, quos viris principibus olim Romae tantopere aestimatos fuisse vidimus, primas tenebant, ab hisce vitiis sani non erant. Non modo juris nostri auctores, viri ingenii maturioris & subacti iudicii, sed & illi ipsi, qui huic sectae nomen dederunt, plurima cerebri fragmenta urbi, foro, curiae nihil profutura in Porticu conseri & educari observaverunt. In ipsa sua vita umbratili Porticenses perspiciebant, decreta sua usibus atque actionibus hominum non quadrare, & nullos in vita humana habere

exitus. Chryſippus, referente Plutarcho,  
 præcipit ſapienti ſuo, ut, ſi forte fortuna  
 ad Remp. ad forum accedat, ita loqui ac  
 ſe gerere debeat, ut qui divitias, gloriam  
 ac ſanitatem bona arbitretur, de quibus  
 ſapiens Stoicus alias perſuadere cupiebat:  
 ſe illa in ſuo ſecefſu contemnere; verum  
 quam inani & ventofa jaçantia hoc fecerit  
 vel ex eo patet, quoniam idem magnanī-  
 mi viri eſſe ajebat, quoties quis ob defe-  
 ctum eorundem bonorum incommodiſſime  
 vivens in propria viſcera ſæviret & vitæ hu-  
 jus ſtationem deſereret. In rebus humanis ſin-  
 gulos homines aut partes unum illum De-  
 um Stoicum efficiētes ſpectari non poſſe,  
 in ipſa umbra ſuæ porticus perſpiciebant,  
 nec aliter in hiſce actiones hominum ſuos  
 tenere poſſe auctores, præmiisſque aut poe-  
 nis ſubjici, quam ſi unicuique animæ ſe-  
 parata

parata sua libertas & oeconomia relinquatur.

Complures quoque res ipsa in vita docuit, Porticensium praecepta & definitiones ineptas esse ad calumnias & argutias in foro tollendas: rigorem Stoicum, qui horribili flagello coercerebat, quae scuticam tantum meruerant, utilitatibus publicae disciplinae contrariari, ad cuius auctoritatem conservandam in poenis gradus certus observandus & saepius ad peccata, quae ob inveteratam consuetudinem evelli nequeunt, connivendum est.

Eadem tamen praecepta umbratilia alios variis & plurimis difficultatibus & inexplicabilibus reperiendi consilii ambiguitatibus in suspenso tenuerunt, & ad imaginarias & noxias conclusiones seduxerunt. Refert Gellius se a scholis & lectione quorundam librorum juridicorum a Praetoribus in judicem

dicem lectum esse, & apud se aliquem pecuniam, quæ data numerataque dicebatur, ab aliquo petiisse, sed neque tabulis neque testibus id probare potuisse, & tamen se nescivisse quid judicandum fuerit. Favorini Philosophi auctoritas & subtilitates Scholasticæ omnis Philosophiæ fanioris luminibus hic obstruxerant. Quicquid enim Gellio amici ejus, quos in consilium rogaverat, quique viri exercitati atque in patrociniis ac in operis fori celebres erant, ipsi ex ea repræsentarent, dicentes: non sedendum esse diutius, ac nullum esse dubium, quin absolvendus sit is, quem accepisse pecuniam nulla probatione solenni docebatur, nullamque mereri attentionem quod actor optimæ, reus vero pessimæ famæ diceretur: hisce tamen argumentis evidentibus neglectis, Gellius prag-

ma-

mati ~~os~~ hosce ex festinatione caussarum eos undique distrahentium ita loqui putabat, & cum frustra diem diffidisset, quo tandem iudicato solveretur sibi non liquere jurabat.

In Porticu ex fato ejusque certa lege concludebatur, causam causæ nexam esse, & quamvis rem aliam ex se gignere; nihil igitur factum esse, quod non certo futurum, nihil futurum cujus causas efficientes naturā non certo contineat. Hæc principia quidam ob sectæ studium porticus doctrinæ addictiores, ad popularem nostram Philosophiam transferre conabantur: verum intercesserunt prudentiores perpetui edicti interpretes, nihil hæc ad res humanas facere asserentes, utpote in quibus illud tantum in considerationem venit, quod unumquemque ex vulgo experientia docet, neminem scilicet mortalium futura incerta præscire. Inter homi-

nes igitur non rerum naturam in generali aut ideali quodam complexu vel quod huic certum sit, matrem familias v. g. unum vel etiam ter geminos postumos parituram, intuentum esse, „ sed nostram inscitiam adspici „ debere peritiores contendebant. (a)

Refractarii Philosophi patientiam optimorum quoque Principum petulanti lingua adeo fatigabant, ut publicis edictis propositis ex Urbe aliquoties ejiciendi, & ita lingua eorum corapescenda esset : horum insolentibus vecordiis abripiebantur quidam Juris Sacerdotes, qui diutius, quam par erat, a fori usu abstinuerant, & inter illos præcipue Antistius Labeo: hic pertinacia sua irritabat tantum eos Principes, quos superare non poterat: in sua enim Porticu, in suis secessibus ut maximus Magistratum contemtor, ita

(a) L. 18. ff. de judiciis.



tantus abstractæ Philosophiæ & antiquitatum adorator effectus est, ut, ne quid detrimenti antiquitatis ritus paterentur, vel quadrupedis instar in forum sese protrahendum dare maluerit, quam ad Tribuni Plebis citationem civilitatis & reverentiæ plenam ultro comparere. At peritiores virtutem suam non quidem periculis imminentibus abscondebant seu abjiciebant, non tamen frustra, præsertim contra habitum aut formam, in quam resp. fatali quadam necessitate sese composuit, allidendam; sed Cæsari, quæ jam divinitus ipsi concessa sunt, non deneganda esse putabant.

Hi in splendidissima rerum gravissimarum luce facile perspiciebant, indignum veræ Philosophiæ sacerdoti esse eorum institutum, qui vetera extollentes incuriosi erant eorum, quæ usu, doctrina & vetustate

im-

immutata erant, qui nihil ratum pensum-  
 que habebant, nisi quod in antiquitatibus  
 justum sanctumque, vel conveniens inveni-  
 rent abstractis suæ sectæ meditationibus;  
 qui » nihil nisi Auruncorum Sicanorumque  
 » leges jam diu ignotas & cum Evandri ma-  
 » tre ab hinc seculis multis obrutas crepabant;  
 » nonnisi Trebatium loquebantur, Cæselli-  
 » um & Alfenum assidue prædicabant.

Ipsi callidiores eorum adversarii nulla spe-  
 ciosiori ratione Jurisperitorum præclara meri-  
 ta elevare se posse putabant, quam si abstractas  
 quorundam meditationes & curas toti or-  
 dini objicerent, & cum Cicerone ipsi ex-  
 probrarent, quod tanto rerum splendore un-  
 dique affulgente, in literis tamen atque in-  
 terpunctionibus, in ineptis & obsoletis qui-  
 busdam rituum ac formularum occupatus es-  
 set; nihil solidi ac veri, sed sola verba retinisset

&

tota ipsius scientia ex rebus fictis & commentis consisteret.

Verum enim vero æquiores Juris peritiæ arbitri, nullos Philosophos minus, quam nostrum ordinem hanc censuram meruisse statim videbunt, quam primum eam a limine tantum salutare libebit. Ut enim hic reliquorum eruditorum, intra privatos parietes enatorum, errores, & difficiles nugas modo memoratas, in fori luce quotidie clare perspiciebat, ita ad eos evitandos, plurimi ejusdem, res cognoscendas, non nisi illa utilitate metiebantur, quæ, experientia docente, ex earum cognitione in societatem humanam redundabat. Doctrinam & eruditionem suam quidem ubique ostendebant, sed nullo subtilitatis & ostentationis molimine, nullam asperitatis aut insolentiæ speciem præ se ferentem: sed rebus convenientem & pa-

rem. Disputationibus speculatoriis, & meditationibus abstractis, tanquam veratro uti amabant, quod crassiuscule sumtum purgat, si vero in pollinem contriveris, suffocat. Ex hisce tantum sumebant, ut populariter tamen intelligere non desinerent, iudicium potius suum, cum vulgari prudentia, iis tantum consociare, eamque clarius percipere al- laborabant. Sublimiores vel subtiliores otio- forum ingeniorum quæstiones, paradoxas & argutas eorum opiniones, solitariis ho- minibus non invidebant: imo eas eo magis spernebant, quo magis animos a præsentium rerum indole abalienant. Doctrinam ad negotia hominum conficienda & ex æquo gubernanda, non ex illis quæ difficillimæ inventionis a speculabundis habentur, aut perfectis quorundam ideis repetendam esse putabant; sed ea, per quæ quis melior belli  
 Dux,

Dux rerum civilium moderator & arbiter atque civis evadere potest, optime rebus ipsis coherere, in quibus hæcce natura omnia in aperto & proximo, seu ante oculos ponit, & cujusque conditionis homines in quotidianis suis negotiis optime docet. Hæc in congressione hominum in ipsa acie ac foro, ut Crassus apud Ciceronem ait, suo se lumine aperta offerre, & viva quadam claritate, quam firmissime & perpetuo, in exercentium memoriis hære, persuasissimum habebant.

Experientiam & usum rerum humanarum non tantum, cum Aristotele & Themistio, potentior, vel, cum Euphrate apud Plinium „longe pulcherrimam Philosophiæ partem; sed & cum Anaxagora omnis sapientiæ matrem credebant „agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere & exercere justitiam „quæque alii docent & præcipiunt, in usu habere

»bere: absque hocusu vero, neminem quic-  
»quam laude dignum consequi posse.

Ipsi principes civitatis, cum Cicerone per-  
suasi, omnem sermonem, qui de jure institui  
»potest, potissimum in populari ratione versa-  
ri, primariis studiis ea ediscebant, quæ tacito il-  
literatoque hominum consensu, ut Gellius vo-  
cat, recipiebantur quæ quotidiana exercitatio-  
ne inter negotiantes approbabantur, quæ in  
foro vel conciliis frequentabantur, pro qui-  
bus quæque res communiter habebatur, aut  
quæ vulgo dicebantur. (a) Quæ ut humili-  
ora & se indigna aliterariis Philosophis con-  
temnebantur, non minori cura quam res  
maximas & gravissimas requirebant, modo  
exinde aliquid elicere possent, quod, ad ne-  
gotia circa illud versantia, a labe & pravo-  
rum injuriis tuenda, quod, ad optimas acti-  
ones remunerandas, aptum & accomoda-  
tum

(a) L. 19. § 4. ff. de ædilit. edict.

(a) L. 25. ff.  
(b) L. 65. ff.  
(c) L. 64. ff.  
L. 1. §. 6. de  
(d) L. 23. ff. de l.

tum: modo in sua Republica frequenter eveniret: modo quotidianum & necessarium esset. (a) Frustra se fines æqui & boni didicisse, & duodecim Tabulas, aliasque juris regulas, memoria tenere existimabant; nisi simul mentes, habitusque animorum, cum quibus vivebant, & quid imbecilli eorum naturæ, congruum sit: (b) nisi ut res, ita tempora rerum, & in iisdem rebus cogitationum præsentium solitas vicissitudines, exploratas haberent. Hinc enim, contra verborum & disputandi subtilem rationem, concludebant, an antiquo rigori & severitati sua tempora paria, vel an rigor antiquus restringendus esset? Ne quæ salubriter pro utilitatibus hominum inventa sunt, ad læsionem eorum producerentur. (c) An vero consuetudo, (d) civilis

M

ratio

(a) L. 25. ff. de deliberat. L. 1. ff. de suspectis tutel.

(b) L. 65. fin. ff. de Legatis, 3.

(c) L. 64. ff. de condit & demonstr. L. 25. ff. de LL.

L. 1. §. 6. de Aedilitio edicto. Tacitus Hist. 1. c. 18.

(d) L. 2; ff. de L. L. L. 9. §. 9. ff. de rebus creditis ibiq; Gothofr.

ratio, (a) & humanitas (b) aliam quandam interpretationem suggererent: conjectura pietatis (c) aut benignitatis (d) eam exigent: vel ut Græci loquuntur τὸ Φιλάνθρωπον καὶ Φιλάνθρωπον esset: an omnium legum fons & directrix, salus & utilitas publica (e) requirerent, ut antiqua lex benigna quadam productione adjuvaretur? (f)

Jura non literis aut verborum controversiis, sed utilitate communi exprimebant. Quia ut Poëta ait: ἀχρεῖος ἔσαι ἰππέων νόμος. Nitorem sermonis & ornatum dicendi, non plus ad causas judicandas valere, videbant; quam eos ad morbos curandos facere, Celsus observavit. Non tantum simplicitate sermonis, sed & ut clarius rem explicarent, verbis ex trivio petitis, & durioribus nonnunquam utebantur. Id tantum

(a) L. 9. ff. de servitut.

(b) L. 25. ff. de donat.

(c) L. 102. ff. de donat.

(d) L. 67. ff. ad SCtum Trebell.

(e) L. 51. fin. ff. ad L. Aquil. L. fin. ff. pro socio.

(f) L. 8. §. 10. ff. de transact.



tum curabant, ut τὸ πρῶτον ἀπὸ τῆς διαφοράς secernerent.

Finem postremum juris civilis, cum Oratore sæpius laudato, habebant; ex præsentium rerum indole colligere, quo pacto legitime atq; usitate, in rebus causisq; omnium, æqualitas conservari possit? Huic æqualitati, e-  
jusq; in singulis figuræ, reliquas omnes regulas & verba, tanquam normas Lesbias, accommodabant. Jus scriptum usum & naturam suam in plurimis perdidisse; contra id, frequentem juris auctorum coetum, indies, infinitas novas sententias secutum esse, non dubitabis; quamdiu, exercitato oculo, notiones illas & formas nondum intueri datur, ob quas res illæ, jam ratione & intelligentia ab iis regulis exceptæ erant. Quibus nihil præjudicare, scrupulosam disputandi rationem, certum & indubitatum erat. (a) Vestigia tantum volun-

(a) L. 30. C. de jure dolum conf. L. 98. § 8. ff. de solat L. 83. § 5. de V. O. Alex. ab Alex. l. III. gen. diem. c. 65.

luntatis, ex usu cujusque loci & mutatione morum, colligebant. Seculo quidem antiquo, adeo frugali, ut censorium crimen haberetur, paucas etiam argenti lamellas possidere, supellex argenti nomine non venerat: suo tamen tempore eam hoc nomine venire, ideo pronuntiabant, quoniam ipsi Catones quadragies H. S. possidebant: luxus seculi, maximam minimam supellectilem, ad ostentationem usque, in argenteam converterat.

Nihil est in rebus oeconomicis; nihil rerum bellicarum, nauticarum, institutarum; nihil eorum, quæ ad corporis humani victum & amictum, ornatum, cultum; nihil, quod ad instrumenta opificum, fundorū, ædificiorum; nihil denique, quod ad ministeria servorum pertinebat; quorum scientiam non, ad hanc popularem Philosophiam, quam recte Cicero gloriosam & præpotentem vocat, prima-

rio

rio spectare crediderint : adeoque, ut optimi  
 oeconomi, negotiatores, opifices, artis de-  
 nique uniuscujusque periti, per genera &  
 species distinguere & recensere, si non o-  
 mnino calluerunt, scire tamen studuerunt. In  
 quæstionibus circa locationes, fabros; circa  
 agrestia, agricolas; circa ius prædiatorium,  
 prædiatores, circa alia denique vulgaria, homi-  
 nes ex plebe, non tantum levato velo consule-  
 bant; sed & iudicio illorum nonnunquam sta-  
 bant. An partus ancillæ in fructu habeatur ideo  
 præcipue, inter summos viros P. Scævola &  
 » M. Manilius differebatur, quia id genus ad  
 » usus civium non inutile erat. Vel unius juris  
 prudentissimi Ulpiani industriam hac in re, ne-  
 mo facile A. A. absq; admiratione intueri pote-  
 rit. Hic enim instrumenta omnia vitæ & qui-  
 bus usibus parata erant, adeo perite & ac-  
 curate per species recenset, ut quolibet pi-

gnore certaveris; cum horrea & prædia rustica & urbana; cellas & culinas; vestiaria & omnes loculos elegantioris sexus; quaslibet officinas perreptavisse & excussisse. (a) Causas & discrimina morborum, quatenus ad quæstiones quotidianas circa redhibitiones finiendasquid faciunt, perfecte callebat. (b)

Nullibi vero juris sacerdotes utiliora, nec tantam rerum & consiliorum copiam, in usum practicæ suæ Philosophiæ, haurire poterant, quam apud Argentariorum mensas; apud quas tantum non omnium maxima, minima, quotidiana, momentanea, nummaria negotia, domi & in provinciis tractabantur. Hisce cum frequenter adsidere, ad has cum, ut Salmasius extra omne dubium posuit, magni nominis viri & honestissimi quique convenire

(a) v. L. 9. D. trit. oleo vin. leg. I. 3. D. d. penu legat. L. 19. L. 23. L. 25. L. 27. D. d. auro arg. leg. L. 19. D. d. instruct. & instr. leg.

(b) L. 1. §. 7. 8. sqq. L. 4. 6. 8. & seqq. d. ædilit. edicto.

venire, ibique confabulari soliti fuerint: inter hosce maxime assiduos fuisse laudatos Pragmaticos nulla anxia probatione egere videtur. Ipsos illos dico, quorum, si Pandectas consulamus, neminem unum, tam superstiosum, stricti juris & formularum, adoratorem, inveniemus; quin hisce posthabitis & quasi hæc contra utilitates mensarias nihil possent, omnes velut uno animo, utiliter apud mensas inventos mores & consuetudines exornaverunt illustraveruntque. Omnia ad arbitrium, stylum & utilitatem negotiantium exegerunt, ut alibi data opera docebimus.

Ex harū & similium rerū popularium notionibus omnes regulæ interpretandi leges; hinc consilia saluberrima, ad finienda negotia, capiebantur. Ex harum una aliqua, plurium sæpe decisionum momenta & rationes, petebantur, quam ex integro aliquo regularum

rum vel legum libello. Hisce qui instru-  
ctus, tum temporis, erat, non dicis caussa,  
sed ex animi sui sententia, cum illo apud  
Ciceronem prædicare poterat, „ Se neque  
„ Aristotelem istum, neque Carneadem, ne-  
„ que Philosophorum quenquam desiderare:  
„ sibi rerum forensium vulgarem hanc co-  
„ gnitionem, satis magnam esse ad eam,  
„ quam quisque spectabat eloquentiam &  
civilem prudentiam. Absque harum vero  
rerum peritis Jus ullum ne constare quidem  
posse videbatur. (a) Omne jus scriptum,  
absque hisce nutum, mortuum imo perni-  
ciosum credebant. Ex omnium Philosopho-  
rum bibliothecis, si præcepta & regulæ eru-  
antur non tamen sufficient, ad diversissima  
rerum latifundia metienda, & res ordinan-  
das, quas vicissitudines variæ indies sub no-  
vis formis edere deproperant. Unum qui-  
dem

(a) L. 2. §. 13. ff. de Orig. Jur. &c.

dem xii. Tabb. libellum eas omnes ubertate  
 superare, ait Cicero. Sed nec hæc ubertas se  
 exserit, nisi juri scripto vitam addat interpres  
 is, quem Idem describit, qui nempe „ non tam  
 „ juris, quam justitiæ consultus: qui consue-  
 „ tudinis ejus, qua privati in civitate utuntur,  
 „ & ad respondendum & ad agendum & ad  
 „ cavendū peritus: & rempubl. omnem, in qua  
 „ versatur, novit: qui ea facultate non tam insti-  
 tutus, quam imbutus erat, qua se in transverso  
 foro obambulantiem, ac domi in solio seden-  
 tem quibuscunque civibus de rebus quoti-  
 dianis consulturis offerre, non tantum in  
 „ contractibus, stipulationibus, testamentis;  
 „ sed & de filia collocanda, de fundo colendo,  
 „ de agro emendo, de omni officio aut negotio  
 optime prospicere; eosq; ex incertis certos di-  
 mittere; qui denique in Senatu & Prætorio  
 primas partes tueri callet. Hujus demum

opera leges a summa injuria liberantur. Hic solus, non quæ alicui actionum generi, sed, quæ rebus ipsis ex æquitatis ratione posita, quæque non sunt consequentia, perpendit: (a) quamlibet regulam in innumeris rebus suum officium perdere, non honestis conclusionibus ansam dare perspicit, in quibus secundum abstractam disputandi rationem maximum usum habere; aut honesta videbatur. (b) Hic est, quem ob hanc suam operam, ut ex Augustini epistolis discimus, legum linguam vocabant, & a vulgo Philosophorum distinguebant. Quotquot vero ab antiquis istis, quas supra tetigimus, fabulis & ænigmatibus, juris doctrinam repetebant, eos, otiosas suas disputationes, huc atque illuc, in diversas sententias producendo, pragmaticam philosophiam, ac pene omnem Romanam

(a) L. 7. D. d. fidejuss. & nomin. Tut. L. ult. C. d. constit. pecun.

(b) L. 52. ff. de petit. hered.



nam sanctionem, inutiles verbositate confundere; (a) & adolescentium animos ab utilibus deterrere, ipsisque inutiles dispositiones indere, nulli dubitabant: utpote quos illis tantum initiandos esse credebant, quæ in ipsa rerum & fori obtinent experientia. (b)

Eximia vero hæc Jctorum prudentia, sicut natales suos, ita & culturam & propagationem, non alio loco debebat, quam ipsi illi foro & curiæ, in quibus a summis viris quotidie exercebatur & ordinabatur. Non in alium mercatum non simulatæ nostræ Philosophiæ, ex omnibus Rom. Imperii Provinciis, confluebant, quam in Urbem illam, in qua quotidie maximarum minimarum, publicarum privatarumque rerum, varietas copiosissime exponebatur: in scenam, in quam optimi quilibet actores prodibant; & clari-

(a) Justinian. Constit. tanta §. 21.

(b) §. 3. præm. just. ibique Theophilus. L. un. C. de nudo jure  
Quirit. toll. L. ult. C. de donat.

rissimæ quælibet actiones repræsentabantur: verbo dicam, in ipsam curiam Rom. & summa judicia : in ipsum Prætorium & aulam. Ante, quam Berytuseo gloriæ, quam postea obtinuit, processerat, nulla urbs præter Romanam apta videbatur, in qua cathedra Themidis & veræ Philosophiæ officina constitueretur.

In hac enim invaluerat mos inde a primis temporibus, ut qui se mortalibus utilem efficere vellet, in mediis officiis, majore temporis parte, illam prudentiam acquirere soleret, cui se unice dicaverat. „ Ibi a teneris sub auspiciis vel parentis vel alterius cujusdam amici, qui istius loco, simulque in vita civili exercitatus erat, „ a Magistratibus majoribus natu, non tam auribus quam oculis discerant. „ Quid faciendum & loquendum : quibusque mox per vices quasdam minores imbuendi, habe-

in rerum argumentis perspiciebant. Curia  
 foribus adsistebant. Concilii publici  
 spectatores citius, quam confortes erant.  
 Ibi castrensibus quoque stipendiis imbu-  
 ebantur, ut imperare parendo; Duces age-  
 re, dum sequerentur, adsuescerent. Id, quod  
 adeo e republica esse statuit, optimus  
 Augustus; ut cum suo tempore aliquatenus  
 in desuetudinem abiisset, reduxerit, & libe-  
 ris Senatorum, ut ait Suetonius, permiserit:  
 ut protinus virili togæ latum clavum indu-  
 ere, & curiæ interesse possent, quo celerius  
 reipublicæ adsuescerent.

In hac denique urbe, nobilissimus quisque  
 cavebat; ne juvenus reip. destinata partem æ-  
 tatis, ad maturitatem iudicii appropinquantis,  
 scholasticis studiorum adminiculis & pedis-  
 sequis, primariis & ordinariis curis & stu-  
 diis inconsultius adhæreret; se tantum scho-

lasticis dicaret , aut tantopere animum  
 adsuesceret , ut exinde quicquam a secu-  
 li usu alienum, a forensi dictione abhorrens,  
 vel initia vitæ civilis abrumpens, eaque quasi  
 minus domestica & difficilioris aditus effi-  
 ciens, contrahere: aut quibus tenerum pectus  
 onerari aut confundi posset: cui quicquid  
 indideris, ejus per omnem ætatem adeo te-  
 nax est, ut data opera halitum postea & o-  
 dorem excutere nequeas; quodcunque super-  
 fundas, ut adventitium & novum, respuit  
 & excludit.

Hoc est, quod Neoptolemus apud Ennium  
 judicat. »Virum, publicis muneribus conse-  
 cratum, philosophari quidem oportere, sed  
 paucis. Hadrianus Imperator, impensius stu-  
 diis græcis se involvens, vulgo scholasticus  
 & Græculus vocabatur; quæ nomina, ut ex  
 Plutarcho discimus, probrosa erant. Agrico-  
 la,

la, Tacito teste, ultra hunc receptum morem, Philosophiæ se quidem immergere volebat: sed, matris prudentia eum revocavit & retinuit: id quod, & ab Agrippina & ab aliis, factum esse accepimus. Non, in schola literarii alicujus Philosophi, quenquam, aut fortem belli ducem, aut subactum rerum publicarum privatarumque gestorem effectum esse, credebant. In hac nonnisi Sophistæ, Rhetores, Grammatici a prudentioribus quærebantur. In hac, ut vidimus, quasi in mimo, inania & fucata multa, dictabantur, & cum utilibus miscebantur. Ex Aristippi schola ἀσώτως; ex Zenonis acerbos exire, experientia docebat. In ejusmodi scholis abstrusos quoslibet Philosophiæ angulos, præsertim in prima juventute, sine summa exercitationis assiduitate, infirmos, obscuros & noxios manere perspicie-

ciebant. »Præparari igitur ingenia tantum  
 »in scholis volebant, sed non diutius, quam  
 »dum majus agere non possent; sed non aliis,  
 quam, quorum prægustum aliquem quo-  
 tidiana negotia, requirunt: difficiliora  
 mox, vivis rerum documentis collustrata  
 ætate, secundaria opera, facillime apparere:  
 in mediis officiis, accedente familiari illo  
 cum reliquis Philosophis commercio, fir-  
 missime inde tantum sumi, quantum ad u-  
 sum vitæ & judiciorum opus est: nullum  
 diem tam occupatum esse censebant, ut,  
 huic operæ, non aliquid temporis, eripi pos-  
 set. In vitæ splendore, non ita diuturna cu-  
 ra & meditatione perspicui et discerni posse,  
 persuasissimum habebant: ex umbratilibus  
 istis

» Quid solidum crepet, quid distent æra lu-  
 pinis. (a) Igitur

(a) v. §. 6. Inst. de Satisfd. Seneca epist. 88. Cæsar II. de B. C. c. 8.  
 Plinius xxxvi, H. N. c. 2.

Ut igitur eo, unde digressus sum, redeam, facile nunc Vobis persuadebo, Auditores, Romæ primam adolescentiam eorum, qui olim exercitus Duces, in causis publicis oracula & afflictorum solamina futuri erant, non nisi veteranis optimæ famæ & notæ commissam esse. Pubis nobilioris studia non nisi pragmaticus Philosophus formabat, qui communia privataque administrando, de pace belloque censendo, reos tuendo, candidatos extrahendo, didicerat; quid ad quotidianam utilitatem faceret. Qui intenso in usum vitæ, in præsentia & sibi familiarissima exempla, digito, & ipsa vitæ suæ pulchritudine facienda docere:, qui suis adversis vulneribus, civis item muralibusque coronis ad virtutem, discipulos impellere; prælia & obsidiones, quarum ordinem describere volebat, designare aptissime poterat. Qui mores genti-

Q

um

„um, regionum situs, diversam Coeli aqua-  
 „rumque temperiem, ut patrium sidus &  
 „fontes ferre consueverat. Qui, qua Ducum,  
 „qua Magistratum aut Judicum quisque rati-  
 „one, quo loco & tempore consilio aliquo  
 „usus sit; aut contra, quo pacto mutata  
 „rerum facie consilium mutaverit, propria  
 „experientia indigitare, valebat. Hic enim  
 est, qui

——— „si qua sonum procul arma dedere,  
 „Primus inire viam ac fluvios tentare minaces  
 „Audet, & ignoto sese committere Ponto.  
 „Nec vanos horret strepitus, sed cor animosum  
 „Luxuriare toris gaudet.

Hæc vero aut similia omnia in illis, qui-  
 bus juris doctrina tum temporis solis crede-  
 batur, non defuisse, vel solum Juris consul-  
 torum nomen, evincit. Illa scilicet ipsa totius  
 civitatis oracula dico. Illos totius civilis pruden-  
 den.



dentiaë fontes & arbitros appello, quorum corpus, tanquam optimorum virorum seminarium, in concionibus & foro clarissimos, in curiis & judiciis consilii principes, in prætorio a latere Cæsaris primos, ipsosque patres quasi Imperatorum, complectebatur.

Non alibi, quam in talium Virorū atriis, eorumq; palæstris, prætoria & forum dico, suos Magistratus, legum latores, interpretes & Doctores, imo ipsos belli duces, tam Lacedæmonii, quam Romani quæritabant. Non alibi, quam in ipsis rerum periculis, res comminus cognoscere, & eo sapientiæ evadere quem posse credebant, ut aliis consilere, eosque ad non fucatam Philosophiam perducere possit. Inter tot Philosophorum celeberrima nomina, qui maximarum rerum, ad Reip. ipsam gubernationem spectantium, per omnem vitam studiosissimi erant, non tamen

tamen solide sapientes videbantur , nisi Juris consulti: non divinarum humanarumque rerum apti Doctores , nisi rerum forensium periti & cauti. Nemo unquam juris peritus evasisse videbatur, nisi qui horum consortio & disciplina inde a prima adolescentia usus esset.

Nec summi honores, nec gravissima quælibet publica negotia, hosce juris nostri auctores, a docendi munere retinebant , deterrebantve. Celeberrimi & summi pragmatici non in latenti jus civile retinere cogitabant; sed ejus scientiam, post Coruncanium, publice profitebantur. Discipulos, a quibus domus suas frequentari gloriæ sibi ducebant, in otio, in ambulationibus, in conviviiis, in balneis, generalibus quidem præmonitis ac præceptis, & honestatis regulis, præmuniebant nonnunquam & præparabant. Percontando, communicando, una legendo, differendo per-

secu-

secutiones cautionesque privatas alienationum, aliorumque actuum, præsertim circa res sacras, ritus & verba solemnia, eos interdum docebant. Præcipuam vero disciplinæ suæ partem, ne dicam totam, in eo sitam esse persuasissimum habebant, ut juventus in eam scholam deduceretur, cui ipsi plurimum debebant. Ipsi hi duces togati, tirocinia sua in circumscriptis & vivis negotiis posuerant, adeoque & tirones, ordinibus suis interesse, quotidiano sole & exercitio robur illis conciliare, illudque confirmare, allaborabant. Nondum sibi ad docendum tempus aliquod seposuerant, cum disciplina eorum maximam utilitatem & Reip. præstaret & discipulis. Nunquã hæc se magis exseruit, quam cum adhuc eadem opera jus doceretur; qua præceptores in medio foro se consulentibus offerebant, sententiam dicebant,

de dubia quæstione, circa ipsa rerum argu-  
 menta, disputabant, alia denique quælibet ne-  
 gotia conficiendo civibus prospiciebant: cum  
 discipuli a præceptorum eorum latere, qui iis  
 non imaginem eloquentiæ sed ipsam faciem  
 absque ullo fuce præstabant, non tantum  
 spectarentur; sed & cum præceptorum re-  
 centia adhuc vestigia premerent, & in di-  
 cendo illis succederent. Longe stabilior &  
 omnibus numeris absoluta fuisset, hæc di-  
 sciplina, nisi ea pars antiqui illius instituti  
 paulatim in desuetudinem abiisset; qua ju-  
 ventuti quasi digito monstrabatur »quæ po-  
 »testas referentibus, quod consentibus jus,  
 »quæ vis Magistratibus, quæ cæteris libertas;  
 »ubi cedendum, ubi resistendum, quod silen-  
 »tium tempus, quis dicendi modus; quæ distin-  
 »ctio pugnantium sententiarum, quæ execu-  
 »tio prioribus aliquid addentium qua  
 omnem

»omn  
 »præc  
 In reliq  
 realiqu  
 multum  
 cebat:  
 sum pe  
 austerit  
 concilio  
 artem  
 scere inc  
 pore lo  
 In horum  
 ad facta  
 cipua Ci  
 dorum  
 (b) junior  
 rationem

(a) Plin. vii. l. 1.  
 (b) Cic. or. p. 1.

omnem senatorium morem fidelissimo illo  
præcipiendi genere, exemplis docebant. (a)  
In reliquis enim ex optimo hoc docendi gene-  
re aliquanto diutius, juvenibus maximus usus,  
multum constantiæ, plurimum judicii accres-  
cebat: hoc ipsis lumen a majoribus accen-  
sum per vices & compendia absque ulla  
austeritate & difficultate præferebatur. In  
concilio & conspectu tantorum virorum,  
artem ornate dicendi, quam in scholis di-  
scere inceperant, arte prudenter & in tem-  
pore loquendi & tacendi temperabant.  
In horum consortio, applicationem Juris  
ad facta præsentia, quæ difficilima & præ-  
cipua Ciceroni, vocatur, artem cognoscen-  
dorum hominum, quibuscum vivebant  
(b) juniores addiscebant. Hoc vultum o-  
rationem omnem vitæ tenorem præsentium  
rerum

(a) Plin. viii. ep. 14.

(b) Cic. or. p. rediv. c. 6.

rerum naturæ, loco, tempori accomodare ad-  
 suecebant: & quæ ad horum rationem facie-  
 bant, velut e specula ipsis ostendebantur. Inter  
 hos & in medio foro, nemo impune, stulte aut  
 contrarie de rebus ipsi propositis, & ad con-  
 fessum illum delatis sententiam ferebat, consi-  
 lia dabat, aut causam dicebat; quo minus &  
 summi pragmatici respuerent, adversarius  
 exprobraret, iudices denique & advocati  
 adspernarentur. Vicem præceptorum hic  
 sustinebat frequenter præclara audire, &  
 optimas actiones adspicere, judicia sectari.  
 Horum exemplaria, in juvenum pectora id  
 ne quidem sentientium, vel præceptoribus  
 tacentibus, descendebant; hæc sibi qui-  
 dem profuisse, sed tempus & modum utili-  
 tatis enatæ, non nisi in ipso opere deprehen-  
 debant. Præsentium rerum lumina abditos  
 recessus noxæ & commodi, otiosæ sapien-  
 tiæ

tiæ anfractus , veræ virtutis latentes semitas  
exsplendescere jubebant , omnia in apricum  
protrahebant. Quotidianus rerum occurfus  
nihil inconsultum , nihil ad vitam inefficax,  
nihil alienum , nihil obscurum aut confu-  
sum relinquebat. Subinde in foro auscultan-  
tibus notæ leges , non novæ judiciorum con-  
suetudines , non peregrinum jus, in quo ver-  
sabantur. Oblitus studiis secretioribus sto-  
machus, rerum illarum , quibus aperte sub-  
serviebant , præsentia ; forensium strepitu  
obtusus, otio literario rebus illis utilissimo ,  
inde a prima adolescentia excitabatur. Utro-  
rumque amica conspiratio & convenientia  
maximam ipsis dulcedinem conciliabat, qua  
deliniti , non tantum officiis addictissimi e-  
rant, sed & quantum hisce subdici poterat,  
literis cupidissime impendebant. Omnes non  
fucatae philosophiæ partes, & inter illas ip-

sam doctrinam, quæ pragmaticis supererat, sola exercitatione forensi persecuti videbantur.

Quod vero, ad disciplinæ hujus perfectionem, plurimum maximeque omnium faciebat, adolescentes non tantum in illius ducis, quem sibi potissimum sequendum elegerant, sed & in optimi cujuslibet integerrimam vitam, tanquam in speculum, inspiciebant. Cathedrarii philosophi, in secessibus suis, Reges quidem videri volebant, virtutum sublimiores regulas crepabant; ast sæpissime, in ipsa vita, omnia suis literis ac præceptis inferiora, habebant; libidinibus, quarum vilissima mancipia erant, & pessimis moribus, tristitiam vultus ac dissidentem a cæteris habitum, prætendebant: in suam avaritiam & ambitionem supercilium contrahebant: & hisce suis delusionibus, non nisi fucatos histriones efformabant. Multo fidelioribus

Præ.



Præceptoribus utebantur juris alumni. Hi, dum illorum vitæ secretis interessent, illam non tantula fraudis vel astutiæ labe contactâ esse; quin potius, nihil magis imaginem justitiæ sacerdotis & philosophas ejus sententias polluere perspiciebant, quam ignavam aut scelestam operam. Nemo ad aram Themidis viam aperiebat, quam veræ sapientiæ & virtutis amicus & studiosus. Et certe, qui „ nihil nisi sui causa facit, nec jus civile be- „ ne tradere & defendere poterit. Qui pu- „ blica privatis non antefert, nec hominum „ actiones ad formulam fiduciæ recte exiget. „ Non jus statuet communi dividundo, qui „ omnia voluptate sua metitur. Non digna „ præmia poenasque factis hominû attribuere, „ civibus se sacramento obligare recte doce- „ bit, qui re ipsa ostendit, quod sibi persuadeat; Deum nec malis irasci nec eos punire. (a) Pro-

(a) vid. Cic. epist. 16. lib. 7.

bosigitur & sinceros rerum actores, neminem  
 efficere posse, credebant, quam eo animo affe-  
 ctum, qui moribus suis præcepta & leges  
 exprimit, & ne latum quidem unguem a  
 regulis æquitatis & honestatis, quas profite-  
 tur, deflectit: qui viva sua imagine juvenum  
 animis altissime infigit; nec truculentum  
 vultum tyranni instantis & prava jubentis,  
 hoc dedecus a recta hac mente exprimere  
 aut extorquere, multo minus honorum ali-  
 quod fastigium aut pecuniæ vim, illam in-  
 ducere deberè, ut tantam artem corrupto  
 aliquo obsequio dehonestet: qui constantia  
 & exemplis adversus calumnias & quas-  
 libet injurias, a versuta fraude inventas, tan-  
 quam contra publicæ quietis excetras,  
 inexpugnabilia monumenta exstruit, ipsa-  
 que morte philosophiam suam obsignare pa-  
 ratus

ratus est, utpote nullam aliam metam aut gloriam sibi ob oculos ponens, quam

„ Ipsa, cui virtus pretium, quæ solaque late,  
 „ Fortunæ secura, nitet, nec fascibus ullis  
 „ Erigitur, plausuque petit clarescere vulgi:  
 „ Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.

Ad hanc viri boni effigiem, quorum juvenus formata erat; cum illis præceptores non tantum, deliberationes suas circa quas-  
 cunque res, tuto communicabant: verum, de omni quoque æmulatione securi, quorumcunque suorum honorum, eos participes reddere minime verebantur. Ita officiis præparatos Principi aliisque, penes quos eligendi, aut ad dignitates promovendi facultas erat, commendabant; sibi ipsis adsestros & supparet absque ullo obtrektionis & insidiarum periculo adsciscebant: Hisce consiliis & monitis suis adesse nunquam pigrabantur.

Hujuscemodi præclari instituti ope, ipsorum Græcorum primæva sapientia, tota quanta ad vulgarem sensum & communem intellectum accomodata, licet ultra usum se ad contemplandum non extulerit, ut Plutarchus in Solone, hac instructissimo, advertit; celeberrima tamen fuit, & sapientiæ Romanorum, eorumque saluberrimis Legibus in XII. tabulas relatis, originem dedit. Huic instituto acceptum ferendum, quod nobilissimi Rom. artem juris optime calluerint ante, quam adhuc in formam redacta esset. Hujus artis præcepta, hinc inde dispersa, ad dialecticæ suæ regulas Servius Sulpitius, non inconcinne accomodavit & retulit, quia eas a magistro illo, ipso opere, didicerat, apud quem maximus juris usus erat, in splendidissima illa, quam vidimus, rerum luce, non immerito pronunciare poterat; Juris arte nihil esse facilius. In  
 hac

hac luce, & tantorum virorum contubernio, id tantū agentibus; ut causas orandas, quibus se quasi immerfuri erant, appararent; solidior tamen juris cognitio in tantum, nonnunquam adhæsit, ut cum Tullio tuto affirmare possent: se illa inter dicendum nunquam destitutos esse; item, si sibi bilis moveatur, se triduo Jctos futuros. Ibi Jurisperitia, sicut de disciplina militari quoque refert Livius, per manus, gentilitio more, posteris tradebatur & ---- Alium ex alio clarescere corde videbant Artibus, ad summum donec venire cacumen.

Præcipue vero, hæc peritia, hæreditaria quasi erat in familia Scævolarum: e qua tandem Servidius ad tantam ejus celebritatem processit; quæ undique, ex maxime dissitis quoque provinciis, plures optimorum juvenum ad hujus Scævolæ atrium perduxit; quam literariæ philosophiæ gloria, in Urbem antea traxerat.

traxerat. Ex hoc vero atrio quot, & quanti nominis viri, prodierunt ! Hujus Servidii vitæ secreta virtutis fere omnes illos statores & conservatores formaverant, qui seculo luxu, adulationibus, omnisque generis vitiis corruptissimo, optima quælibet in deterius ruentia ab interitu vindicabant, pessimorum Principum impetus flectebant, ex bonis optimos efficiebant. Inter hosce unus Papinianus, facem ab illius Servidii moribus accensam, tam feliciter suo exemplo, tot juris nostri auctoribus, a Lampridio enumeratis, prætulit, ut non injuria historicus ille judicet : his tot atque talibus Viris, quid mali potuit cogitari vel fieri in Rep., cum omnes ad bonum, uno animo consentirent ? Salva Roma, quia salvus Alexander ! Ita huic Imperatori in triumpho Persico populus acclamabat. Sed vix alterutri hæc conservationis gloria attribui potuisset

potuisset, nisi ex Ulpiani illius, qui Papiniani lateribus aliquandiu adhæserat, „ consilio, „ Alexander Rempublicam administravisset. Absque illius enim non fucata Philosophia si fuisset, hic Imperator adolescens vitiorum insidiis facillime succubuisset.

Eodem enim gradu, quo ab incomparabili hacce Philosophia tam Græci, quam Romani recesserunt, eam ab usu ad contemplationem transtulerunt, otio & secessibus mancipaverunt, eodem gradu, a vera virtute desciverunt; & ex veris illius sacerdotibus, legum indices & bajulatores, pomposi declamatores, viles palæstritæ & fucati sophistæ evaserunt. Pudet referre, Græcis suæ gentis & ætatis acta & gesta ignorantibus, ab extraneis exprobratum esse: eos „ cum omni sua scientia semper esse & manere pueros: inno Græciam ad otiosas scientias, ab utilissima illa, quam vi-

dimus, disciplina; tam foede studia sua demississe, ut solus Rex Philippus eam, quasi ad infantiam reversam, inani splendore & crepundiis ludificaverit: densissimum sophistarum & rhetorum contra se declamantium agmen, eluserit potius, an irriserit? non determino: certe omnes uni homini ludibrium debuerunt, & ultro jugum ejus subierunt.

Romæ depravatis illis, quorum meminimus, temporibus simplicem & apertam virtutem, zelus Juris nostri auctorum, diutius aliquantum, conservavit; eorum justitia Imperium contra Barbarorum impetus protexit. Cum vero, indies angustioribus terminis optima ingenia includerentur, ex curia, foro & judiciis, optimarum rerum varietas & magnitudo, quas priora tempora largissime suppeditaverant, magis magisque auferentur. Omnia, non ad rationem publicam

cam

cam  
Null  
mofa  
ratis se  
lato  
obfcur  
stituti  
cendi  
excidi  
tura e  
Hei m  
Decidi  
Confilii  
Legibu  
Hæc,  
Virtus  
Huic p  
Artibus



cam, sed ad assentationem componerentur. Nulla obscuritas bonos salvos præstare, & nemo felix esse posset, nisi qui publicæ infelicitatis se ministrum præberet. Tum, simul sublato prudentiæ civilis exercitio, eoque in obscuram scientiam verso, sublato studio instituti & iudicii popularis, & omni utilia discendi materia, omnes desiderio & occasione excidere ea discendi, quæ an unquam usui futura essent? non immerito dubitabant. Tum, Hei mihi! quo Latix vires Urbisque potestas Decidit? Urbs ea, quæ bello, patrumq; vigebat Consiliis, homines quondam terrasq; revinxit Legibus, ad solem victrix utrimque cucurrit. Hæc, ubi se a vulgo & scena in secreta remorunt

Virtus Scipiadx; Quintique peritia Muti.  
Huic postquam elapsi mores, desuetaq; priscis  
Artibus, hæc umbris velans oracula legum

Ignæ

Ignavis : gremium in pacis servile recessit.

Cum optima illa docendi methodo, juris nostri Auctores: cum hisce vero illa, quam in antiquis admiramur, civilis prudentiæ gloria extincta est, neque in hunc usque diem ad pristinum culmen suum rediit : imo vero nitorem suum magis magisque amittit.

Video A. A. H. H. me, disciplinæ hujus decore longius abreptum, sensim, ac prope dixerim, invitum, in nostra hæc tempora, relatum esse; utpote, quibus illius perfecta restitutio & imitatio optanda magis, quam speranda est. Tam altas, proh dolor! radices egit institutum illud perniciosum, quo, quicquid ex antiquis fere nostrum facimus & retinemus, nihil nisi abstractam & reconditam subtilitatem sapit, quæ irreparabile juventutis tempus perdit, res nostras in pluribus involvit & intricat.

In ipsum forum & Tribunal, quotquot, inde a tempore repertarum Pandectarum, vel omni Romanarum rerum historia destituti, & illotis plane manibus, transierunt, vana tamen incessit ambitio; ex singulis verbis nunquam intellectarum legum, præcepta juris communia & generales regulas innumeras confingendi; vel horum fabricatores, cæco impetu, in iudicando, sequendis; idque maximo cum despectu rerum præsentium & popularium. Dum vero ita, artem abstractis suis ideis incluserunt, quæ, non alio, quam, quo inventam & excultam esse vidimus, ingenio tractari potest: Dum veterum, æque ac nostrarum rerum tenues differentias ignoraverunt; multominus inter se exacte expenderunt, fieri non potuit; quin summa in eis miscuerint: iique, qui, ut grus gruem, illos sequuntur, sub auctoritate juris

scientiæ perniciose errent.

Manebo in exemplo , supra a mensis petito . Circa hæc optime inventa privilegia ; antecessorum Rom. auctoritate, quorum maxima cura defensa erant , forenses recentioris ævi funditus sustulere : quorum oculi , non tam ob ignorantiam rerum antiquarum, quam earum, quibus circumdabantur, ad Rom. juris fragmenta caligaverunt. Consuetudines mensarias, quæ in hisce non obscure expressa sunt, mercatorum industria conservatas , ipso usu a situ & squalore, quibus interim obductæ jacebant pandectæ , liberatas ; glossatores , eorumque discipuli , præ fastu scholastico non videbant ; sed mensas sublimioribus suis formulis & subtilitatibus alligabant. Et quamvis mercatores hac de re acerbissime conquererentur, & ex ipsa mensarum indole clare ostenderent: Legistarum  
apices

apices rationes suas conturbare; fidem, ad eo  
necessarium mensarum fulcrum, convellere;  
industriæ præmia & optimos negotiandi mo-  
dos auferre: Surdis tamen narrabant fabu-  
lam. Interpretes enim, non nisi sentibus diale-  
cticis physicisq; obsiti, laceris & ignotis legum  
fragmentis inflati & impliciti, sibi dedecori  
fore putabant, ab idiotis, ut inter alios P.  
Castrensis loquitur, mercatoribus, se, scho-  
lastica doctrina refertos legistas, aliquid ad-  
discere debere; & quasi, non ex æquo & bo-  
no, sed per cavillationes sententias ferrent, ac-  
cusari. Obtinuerunt quidem mercatores  
tandem, ut ex suo corpore iudices in em-  
poriis eligere possent; quorum arbitrio in re-  
mercuriali standum erat, quique ab illis cavil-  
lationibus mensas vindicare studebant. Sed  
jam sublatae erant ab istis Legistis antiquæ men-  
sarum populares commoditates, & cum omni  
depo.

depositorum securitate, & mensariæ negotiationis columine, ipsæ veteres mensæ subversæ. Irreparabili reip. damno, sola Justiniani Marchionis, mensa, ut Raphael de Turri testatur, præclara ejus fide & lautis opibus conspicua, Romæ restiterat. Quare, sub mercurialium illorum judicum tutela, ex antiquæ mensæ ruderibus, quamvis longe minori utilitate, restauranda, & a febriculosi interpretum definitionibus & regulis, ob ipsarum rerum necessitates, eximenda erant, moderna cambia, mensæ, deposita, assécuraciones. &c.

Dies me deficeret, A. si cerebrinas æquitates & adulterinas explicationes, si errores, ex male intellectis mensariis aliisque infinitis privilegiis abstracta disputatione fictos & profluentes recensere vellem. Ipsi Romanæ prudentiæ Antistites, si ab inferis excitentur, vix integro curriculo Academico persequi

sequi poterunt, singulas definitiones sibi non constantes; sub quarum inani specie, de jure, quod ex illis coaluit, in utramque partem & necem litigantium, forenses disputant.

Quam vero nollem, horum & similium publicorum morborum causas nobis esse, illos ipsos, qui in otio suo scholastico, ex antiquis fragmentis eruunt, sacras, civiles, forenses, nummarias, vestiarias, vinarias aliasque res vulgares, in atriis juris nostri auctorum, tam sollicitè expensas & asservatas. Qui in eo sunt toti, ut, in umbraculis suis, a situ & squalore liberent rudera veteris curiæ, fori, tribunali-um. Circa hæc, quos verborum diversa lectio & controversia, syllabarum aucupia, logicorum regulæ, & paradoxæ opiniones magis, quam Stoicos aliosque umbratiles veteres Philosophos torquent. Sed si verum amamus, non aliis culpæ, hæc lues, dari potest, quam iis apud  
 Y quos

quos, magis quam unquam speciem decori  
 obtinuit, in obsoletis formulis, & elegantiss,  
 prudentiæ civilis superficiem tantum exor-  
 nantibus, subsistere & immori, molestiam il-  
 lãam declinare, per se experiundi : ubi juris  
 Rom. ratio in foro nostro conducere, ubi  
 frugifera esse, ubi lætiorẽ segetem in re-  
 bus nostris proferre possit? Quique simul, ne  
 quis, hæc aut de nostratibus illis, absq; quibus  
 Jurisprudencia non habet, in quo consistere  
 possit, aliquid ex relatione aliorum, quidem,  
 sibi imaginari queat; barbaros forenses eorum-  
 que scripta ex scholis gravissimo supercilio,  
 cum Budeo, explodunt: eorum” errores, cum  
 „Lyclama, ne notatu quidem dignos ajunt, ut-  
 „pote, qui se errare sciant, repugnare nesciant.  
 „Qui denique usum forensem se nescire, &  
 „si quid ex eo imbibissent, ejus se dediscendi  
 percupidos esse, confiteri non verentur: quem  
 ad.



admodum de ipso Cujacio testatur ejus auditor Josephus Scaliger.

Quasi vero negotiorum præsentium unica directrix, ob vestem illam indecoram & minus Ciceronianam, qua pragmatici eam induunt, umbræ scholarum includenda: quasi hæc ideo abstractis meditationibus involvenda, res illas excedentibus, quas, Chrysippo pictore, immotis oculis intuetur; atq; a præsentibus iis abhorrentibus, quorum causa, se unice mortalibus tradidit: quasi horū necessitates & utilitates illorū arbitrio an libidini, relinquendæ, qui impuris manibus eas tractant! Cæterorum philosophorum secessibus quidem, mire Senecæ hæc obtentui sunt: Forensium tractatione purissimam linguam & pectus inquinatam; insanam ibidem regnare hominum avaritiam & ambitionem; tot calumniatoribus recta in deterius torquentibus parum tutam

»tam simplicitatem: plura ibi occurrere quæ  
 „virtutibus obstant, quam quæ eas promove-  
 ant. Sed sub hisce & similibus coloribus, e-  
 jus studia, recte in perpetuis umbris latere  
 nequeunt, cujus doctrinæ unice juvenus,  
 nostris officiis præparanda, committitur.  
 Hic enim quamdiu, rerum usu dulcedinem ve-  
 teris philosophiæ ipse non gustavit, nec di-  
 scipulos adsuescere poterit; ut palato anti-  
 quorum juris auctorum, seu rebus nostris pa-  
 ri, ex antiqua formularum & legum cortice  
 nucleum eruere & usibus nostris accom-  
 modare possit: sed magno suo conatu vete-  
 rum optimam philosophiam ex omni com-  
 mercio hominum proscribet se ipsum, cum  
 omni sua scientia, perpetuis ergastuli sui tene-  
 bris mancipabit; & efficiet: ut subinde in me-  
 diis officiis, sapientiæ maxima pars putetur,  
 errores pragmaticorum crepare. Ut horum  
 effate

effata, sibi invicem contraria locum retineant, potestatis populi, suffragiorum tribuum, auctoritatis Juris Consultorum, seu, ut Boetius vocat, sententiarum civium judiciis probatarū & creditarū. Ut de eorum infima grege abreptus, non nisi vulgarib9 & receptis imbutus, in vita, præferatur scholasticis quibuslibet instructissimo. Et sane, huic ille quid heic præstet, quamque, ut nunc sunt res, optandum sit, forensium neminem, cantilena illa de schola instructum esse? non opus est, ut a Tiresia Thebano apud inferos, indagemus. Experientia quemlibet in foro docet, quantopore insolens illud Antecessorum nostrorum fastidium, in publica peccet commoda? Quod nisi deponant & in rem præsentem veniant, nemo est, qui certo oculo, veterum prudentiam & utilitatem, in rebus nostris perspicere, & hæc ad illas ordinare queat: sed o-

omnia perpetuo confinio regni umbratici & forensis mancipientur, nullus veræ jurisprudentiæ locus relinquatur, necesse est. Vix enim ullius scholæ myrothecia vel elegantiam, amplius in foro redolent. In hoc, e pulvere scholastico ad causam dicendam, procedenti, nemo facile cum Passieno apud Plinium acclamabit: Bene mehercle bene, sed quo tam bene! verum ubique aqua hærebit. Præceptis scholasticis, tanquam circulis magicis, circumscriptus, in luce omnia, ut cæcis in tenebris, metuet. Libellum, quem forte proprio Marte in propria causa, elaborare ausus est, iudices ipsi reddent, & Consultum literarium rogabunt, ut illum per forenses aliquem, ordine & decenter, concipiendum curet, quod magni nominis Interpreti accidisse accepimus. Ad levissimam, circa res quibus circumdamur, questionem, cum celeberrimo illo Viro, qui apud

Bitu-

Bituriges jusdocuit, obmutescet.

Hæc vero & similia docendi partes, ab Academicis, quibus impositæ sunt, neglectas, quis est qui in foro nunc subeat? Hoc jamdudum destitutum ductibus & exemplis Consultorum doctissimorū, qui oratoribus tela subministrabant, & dicenda suggerebant; eorum qui disputando & prius dicendo adolescentibus, in eadem causa dicturis judicaturisve, viam juste judicandi, prudenter loquendi & tacendi monstrabant. Fuere felicia illa tempora, quibus juventuti, curiæ & foro eorumq; arbitris assistendo, civilis prudentiæ rationes, origines, usus, quantum opus erat, innotescabant. Non jus dicturis, ut quondam, aliquos ex incomparabili Jurisperitorum ordine, palam adsciscere licet; sed imperita licentia eo temeritatis adducuntur, ut de rebus sibi non perspectis, injuste pronuncient potius, quam igno-

ignorantiam prodant. Paucissimis obtin-  
 gunt candida fata Romulidarum, quos idem  
 Prætorium, curia & tribunal, iidem princi-  
 pes viri, ubi & a quibus de rebus publicis &  
 privatis statuebatur, simul docebant Remp.  
 tueri, & non tam litigare quam germanæ ju-  
 stitiæ litare. Hæc & tantum non quælibet  
 nostratia, in forum e pulvere scholastico de-  
 latus, ab ejusmodi plerumque, pragmatici &  
 politici titulis tumente, percontari cogitur,  
 & novo quodam curriculo addiscere; qui  
 antiquorum memoriam & curam jamdudum  
 abjecit, vel ea, æque ac nondum cogniti pis-  
 cis aut edulii, nomen semper ignoravit: qui,  
 juris artem pristinam nesciens, eam a fide er-  
 ga æquales & patrocínio erga oppressos, ad  
 vilem mercedem & turpem quæstum, abdu-  
 cere satagit. Hujus auctoritate & perversi  
 seculi torrente, tiro forensis, abreptus, cor-  
 ruptæ

ruptæ Philosophiæ & Eloquentiæ patronos  
potius, quam fucatos & nimis sublimes Acade-  
micos sequitur. Mentis præcisiones & obso-  
letas elegantias plus, quam balbutiens & ca-  
lumniosa quædam formulariorum ars, rebus  
ipsis obesse cernens, post devoratas multas  
molestias, novo dicendi genere, vocalis fieri  
cogitur; frigido quidem & horrido, necessi-  
tate tamen introducto, & nostris usibus ali-  
quo modo conveniente & pari. Hanc, cum  
oblivione & fastidio veterum, nunquam non  
persequetur. Actum igitur erit, de antiqua illa  
Philosophia, nisi illi, qui, sicut olim in atriis su-  
is juris auctores, ita se, hodie in cathedris, juris  
sacerdotes & consultos profitentur, rerum  
usu eam retinere, & ex Tullii præcepto, *co-  
studiosius, in earum argumentis, eam perspicere,  
ibique eo vehementius excolere & confer-  
vare allaborent*; quo majori impetu in illis

„ violatur & pervertitur. Quid vero fieri turpius aut dici potest, quam eos, qui ejusmodi personam susceperunt, a rebus nostris abhorrendo efficere, „ ut mali cum detrimento bonorum & communi omnium pernicie ubique plurimum possint? Sub Caracalla caput quoque efferre coeperunt sævi mores: sed hi Papinianum ab administratione rerum non deterruerunt. Is potius, adversus hosce & discriminum amaritudinem audentior connitendo, tot tantosque virtutum & juris statores sibi similes formavit! de quibus jam vidimus. Nihil tam sacrum est, quod non suos invenerit sacrilegos. At, modo intus cessent commodi privati & gloriæ studium, cum neglectu honesti: modo, eo animo, quis pedem in forū proferat, quo omnia, ad publicæ utilitatis rationem, in cathedra mox, conficiat, cuncta in vado erunt. Sic nullum forum

erit,



erit, in quo virtuti omnes viæ præclusæ: nulla officia, in quibus non supersit occasio ad proficiendū. Inter medias seculi corruptelas, multo certius & firmitus, quam in profundo otio & secessu, animum induces, aliosque adsuescere disces; ut id agant, quo ad omnium cathedras, subsellia & patrocina, tanquam ad totidem scopulos, calumniæ & injuriæ allidantur: oppressi vero eo tuto confugere possint.

Et sane, quotquot superioris ævi Interpretum, ita in consiliis & administratione maximarum rerum versati, & ingenium forensibus subegerunt; quotquot per forum in cathedram viam direxerunt, eorum observata & merita, inane quantum! omnes ingeniosissimas meditationes cæterorum, superant. Repræsentate vobis Ulricum Huberum, a professione juris, quam complures annos Francqueræ sustinuerat, in supremum Frisiæ iudicium evocatum,

catum, & mox, ex hoc rursus in pristinam  
 suam cathedram reversum, simulque & ver-  
 bis & re ipsa testatum; sese nunc demum  
 permulta, auditoribus suis utilissima, quæ ju-  
 dicioꝝ usu observârat, proveciori ætate,  
 in scholas retulisse; in tantum, ut recte de illo  
 dici potuisset, quod de Carneade, aliquis a-  
 pud Plutarchū ait, „ non referre quamdiu quis  
 „ Carneadem audiverit, sed an senem audiverit;  
 „ quod hic sc. in senecta diatribas suas, magis <sup>πρὸς</sup>  
<sup>τὸ Χριστιανὸν ἢ τὸν νεωτέρων</sup>, quam ad argutias compara-  
 verat. Conferatis, si volupe est, Antonii Fabri  
 contemplativa & theoretica scripta, cum  
 observationibus in Tribunali Sabaudico, ex  
 propria experientia, congestis & in peculia-  
 rem codicem relatis. In ultima scriptorum  
 parte, plus civilis sapientiæ unam paginam,  
 quam integra volumina priorum suppedi-  
 tare, manifestum vobis fiet. Sciens nunc  
 præ.

prætereo V. Aitam Zuichemum, qui ex supremo Germaniæ judicio Ingolstadium, ad publicam professionem suscipiendam, se optimis avibus contulit, eamque spartam luculentissime sua peritia exornavit. Tacco plurimos alios superioris ævi Doctores rei ipsa potius, quam titulo, juris nostri peritissimos.

Videtis A. quibus exemplis ductus, quibusve rationibus motus, in carceribus scholarum subsistere noluerim. Habetis causas, ut spero, fonticas longioris meæ a scholis absentia, non tamen perpetuæ. Non quidem adeo vanus virium mearum pusillarum æstimator sum, ut me ad excelsum Rom. cacumen, jam adscendisse, aut adscendere posse credam. Sed, quantum in me fuit, nihil quicquam omittere volui, antequam adeo adamatam scholis ac cathedræ memet addicerem, quo viam planissimam, & nihil a fine, qui in

studio juris ante oculos habendus est , aberrantem, in ipsis rerum argumentis, apertius perspicerem.

Postquam id ipsum utcumque , in summis aulae nostrae judiciis, per binorum lustrorum operam , me consecutum esse confido; non dissimulo, Ampl. hujus Urbis & Lycæi Patres & Curatores, ad Vos enim nunc convertenda erit Oratio , non dissimulo, inquam, me pro honorifico Vestro de ratione studiorum meorum iudicio, Vobis esse longe devinctissimum.

Tantum abest, quod me, vel honorum pompa, vel pinguiora fori, quibus fruebar, præmia, de acceptanda Vestra hac invitatione suspensum tenuerint, ut potius ex animo mihi gratulatus fuerim, cum paribus Vestris votis & auspiciis, tam exoptatum mihi signum daretur, ad canendum receptui ex fo-

rensi

rensi pugna & strepitu, atque ad redeundum in cathedram, cui rudimenta studiorum, in urbem, cui natales debeo, & ubi nunc memet amœnioribus studiis, totum & ex animi sententia, involvere dabitur.

Nihil igitur persuasissimum habeatis, mihi æque curæ cordique futurum, rebus in hoc universo orbe omnibus, quam ut illud hostimentum, pro isthac tam insigni benevolentia, Vobis persolvam, quod Vos unice & jure optimo a me reposcitis, ut scilicet muneris hujusce mihi impositi partes, quantum humana patitur imbecillitas, omni diligentia & cura obeam atque tuear. Neque dubito, quin divinum Numen honestis hisce propositis atque conatibus adfuturum, eosque in hujusce Lycæi incrementum directurum sit.

Paucis adhuc Vos volo debeoque, Clarissi-

mi

mi Professores, quorum in consortium me  
cooptatum esse, mihi gloriæ & honori du-  
co. Haëtenus eorum, quibucum vixi, ne-  
mini, meo quidem merito culpave, invisus  
aut exosus fui: sed Vos tamen, ut nihil mihi  
amicitia Vestra carius esse intelligatis, omni,  
qua potero, contentione atque anhelitu  
enitar. Sane, si prodesse publice, si privatis ra-  
tionibus consulere recte volumus, uno ani-  
mo & voluntate, pro studiorum hujusce Athe-  
næi instauratione, laborandum nobis erit,  
Remota omni similitate, quisque nostrum in  
Collegæ sui fama atque incolumitate, hono-  
rem suum ac universam salutem positam ef-  
se censeat. Detestemur perversa eorum in-  
genia, iratis Diis nata, qui virulenta sua lin-  
gua clanculum alios sugillare gestiunt. Abom-  
inemur foedissima illa Musarum probra at-  
que excetras, quibus tunc demum beata  
videtur

videtur vita , ubi honestorum hominum famæ detrahere, iisque calumniose insidiari datur. Utinam nostris exemplis hoc ipsum ca coëthes ex hisce regionibus expelli posse spes affulgeat !

Tibi præsertim, Amplissime Præses , qui me, pro Tua humanitate, cum insigni elogio meritisque meis majori, in cathedram hanc tam benevole, tamque honorifice. evocasti. Nullo non officii genere probatum dabo , me longe gratissima mente recolere memoriam ejus rei, quod hoc ipso die, Auspice Te, huic muneri, inauguratus sim.

Vos denique, devota Musis pectora, qui in commodum Vestrum me, manum rebus admovendo nonnihil, quod studiis Vestris aptum esse possit, degustavisse, & nunc ex acie forensi & agmine medio, ad eorum simulaera in hoc pulvere Vobis designanda ,

ad ea, quæ ad veritatem vitæ nostræ propius  
accedunt, docenda, ex aula in scholam hanc  
lætabundum omnino reversum esse, audivi-  
stis; qui adhuc in ætatis vere atque floribus  
constituti, Romanorum felicitatem, si non æ-  
quare, omneque punctum ferre, quam proximi-  
me tamen ad eam accedere poteritis. Non  
magis, quam illos, natura nos ad tarditatem  
damnavit, modo rectam viam elegerimus,  
nec nobismet ipsis defuerimus. Quantura-  
cunque ego longiori studio Academico,  
quicquid contuentibus aulicis Viris didici at-  
que observavi, istud omne in sinum Vestrum  
effundo, Vobisque sacrum esse volo; ejus ope  
enitar atque allaborabo, ne antiquis & in-  
utilibus fabulis, aut abstractis regulis tempo-  
ra Vestra pretiosa morer; ne in foro postea  
opiniones Vobis conquirendæ sint, qui cum  
legibus antiquis, ex quibus deducuntur, ni-  
hil



hil commune habent. Recludere conabor  
singulorum jurium, ex quibus praxis nostra  
coaluit, fontes, resectis superfluis & alienis,  
nescio quibus, literarum lenociniis, quibus  
mens irretiri, ejusque cursus, ad res forenses  
directus, cohiberi atque retardari queat. Non  
tamen adeo cursum deproperabo cuncta at-  
que avare, ut jurisprudentiam Vestram suc-  
cus & sanguis aliquando destituat : quin po-  
tius, quantum quidem salva forma judiciali  
nostra licuerit, operam dabo, ut prioribus  
exercitationibus sordes istæ e rebus foren-  
sibus eluantur, quibus in opprobrium juris  
prudentiæ nostræ scatent atque abundant.  
Allaborabo, ut ex fontibus Romanæ Phi-  
losophiæ rivuli, tam apte in latifundia rerum  
forensium nostrarum inducantur, ut a repro-  
bis istis ingeniis, quæ illa pro possessoribus  
in foro possident, novam & impolitam circa  
illa

illa notitiam & observantiam Vobis emendicare non cogamini ; sed illico ipsi castius ea tractando , & si quid otii a forensibus occupationibus superfuerit , studia sanioris Eloquentiæ & Philosophiæ excolendo forensia magis magisque perpolire , rudis inertisque seculi squalorem detergere , atque hisce adminiculis subnixi efficere possitis , ut tandem aliquando Romana illa prudentia , cultu suo in nostris foris , enitescat atque coruscet.

DIXI.



strā propiū  
nolam hanc  
le, audivi-  
de floribus  
mūm x-  
nam pūi-  
ricis. Non  
cardium  
egeim,  
Quantu-  
ademo,  
didici-  
etrum  
eiusope  
is de in-  
tempo-  
o poltea  
qui cum  
tur, ni-  
hil

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

# TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Light Black
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	Dark Gray	Black



A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W	G		K				C	Y	M			

# TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007